



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De prædicatione & baptismo Ioan[n]is. Matt. 3. Luc. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

erce : Vis non rigidè iudicari , non damnari , multas tibi culpas indulgeri , magnas gratias præstari ? Idem exhibe proximo , & poteris voto tuo . Gratitude , zelus eximiæ fraternæ dilectionis .

III. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui.* Generale contra omnia peccata , defectusque perfectæ dilectioni oppositos suggerit remedium , quod est proprias culpas , imperfectiones , & miseras profundè agnoscere , semperque ob oculos mētis ponere . his enim inspectis facilè aliorum misereberis , & quod tibi fieri , vel non fieri in simili casu velles , aut non velles , hoc quoque alijs facies , aut non facies , & libenter portabis aliorum onera minora , vt alijs portent patienter tua maiora . Agnitio sui , & humiliatio .

De prædicatione & baptismo Ioannis. Matth. 3. Luc. 3.

II.

I. **C**Hristus iam 30. annorum , officium prædicationis breui auspiciaturus , voluit aduentum suum per Ioannem prodromum suum , admiranda victus & vestitus austeritate venerabilem , è deserto diuino instinctu euocatū , mundo annuntiari , vt
osten-

ostenderet veros Euangelij præcones & salutis animarum zelatores oportere esse amantes secessus spiritualis, arctæque cum Deo familiaritatis, & prius discere & facere in secreto, quod docturi sunt verbo in publico. Studium deuotionis, mortificationis, & vitæ exemplaris.

II. Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris *Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Ioannes cum ab infantia vsq; ad trigesimum annum in deserto se in magna vitæ austeritate, in assidua diuinarum rerum contemplatione, in vigili aduersus insidias Sathanæ colluctatione, in Angelica cordis puritate conseruanda & augenda exercuisset, tandem impulsu Spiritus sancti progressus in publicum, prædicationem suam in baptismo pœnitentiæ auspicatus est, vt doceret baptismum à Christo instituendum esse ianuam salutis, & pœnitentiam initium veræ ad Deum conuersionis; nec posse quenquam esse idoneum Dei in conuertendis animabus instrumentum, nisi fuerit intimè eidem per studium mortificationis, orationis & puritatis cordis coniunctum. Feruor pœnitentiæ,

tia, & mortificationis, studium orationis & puritatis cordis.

III. Ioannes prædicationem suam diuersis auditorum languoribus curandis prudenter attemperabat; proteruorum Phariseorum, & Saduceorum hæreticorum errores acriter refutâdo; plebi, publicanis, militibus benignè præcepta salutis singulis accommodata impertiendo, omnes ad seriam pœnitentiam, tum spe præmiorum, tum metu suppliciorum, inflammando. Omnibus omnia factus est, vt omnes faceret saluos. Quisquis optat multas animas lucrari, hoc discretè studeat æmulari. Zelus discretus.

De Christi Baptismo. Matth. 3.

III.

I. **C**Hristus amantissimæ Matri, quæ cum iam 30. annos suauissimè conuersatus fuerat, de eius quidè abitu mœrenti, at de appropinquante redemptione Israelis gratulanti, valedixit, propositumque suum exposuit. Quàm eximios resignationis affectus in hac ab inuicem diuulsione talis Mater, & talis Filius elicuerint, omnem affectum naturalis amoris exuendo, & diuino Patris beneplacito penitus se conformando, quàm libenter Filium

lium